

V 5830  
185  
BS

D. D.  
**PLANTA**  
**APHYTEIA,**  
QUAM  
DISSERTATIONE BOTANICA ILLUSTRATAM  
CONS. ILLISTR. FACULT. MED. UPSAL.  
**PRÆSIDE**  
**D: NO D OCT. CAROLO**  
**à LINNÉ**

S. R. M. ARCHIATR. EQ. AUK. DE STELLA [POL. MED. ET BOTAN.  
PROF. R. O. ACAD. PARIS. PETROPOL. IMPER. N. C. HOLM. UPS. LOND. ANGL.  
FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINB. ROTER. NIDROS. CELL.  
PHILADELPH. ZELAND. MEMBRO. ET FACULT. EDINB. ASS. HONOR.

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFERT

AUCTOR

**ERICUS ACHARIUS** GEVALIA GESTRICIUS.

REG. ACAD. SCIENT. HOLM. ADSCRIPTUS.

IN AUD. CAROL. MAJOR. D. XXII. JUN. MDCCCLXXVI.

H. A. M. S.

---

UPSALIE, TYPIS EDMANNIANIS.

IN SACRAM REGIAM MAJESTATEM  
VIRO MAGNÆ FIDEI  
PROVINCIÆ GEFLEBORGENSIS GUBERNATORI  
CELEBRATISSIMO,  
ORDINIS REGII DE STELLA POLARI  
EQUITI ET COMMENDATORI  
SPLENDIDISSIMO,  
PERILLUSTRE ATQUE GENEROSISSIMO COMITI  
AC

**DOMINO,**  
**D:No NICOLAO**  
**GYLLENSTOLPE,**

MÆGENATI SUMMO,

**SACRUM.**

VIR NOBILISSIME ATQUE CONSULTISSIME  
**D:E LAURENTI JAC.**  
**HAGTORN,**  
SUPREMI SVIONUM DICASTERII AULICI  
ASSESSOR DIGNISSIME,  
AVUNCULE OPTIME.

Specimen hoc quaecunque Academicum editurus, immortalem, qua Te,  
Avuncule benignissime, veneror pietatem, eo libentius testatam, facio,  
quod per bonitatem Tuam singularem & vere paternam, factum est,  
ut lucem hæc opella publicam videat. Tu enim spem meam afflictam  
& propemodum collapsam favore Tuo erexit, ut coptum studiorum  
cursum persequi audeam. Mihi certe, post obitum Patris optimi ac de-  
sideratissimi, paternum plane præstitisti animum, ea, quæ filium deceat,  
veneratione, a me semper prosequendum. Hanc igitur, quæsto, mentis  
venerabundæ tesseram, serena fronte excipias; cum nihil penes me sit, quod  
tot tantisque Tuis beneficiis respondere queat præter vota, quæ pro Tue  
Tuorumque omnium flore perpetuo ad Deum O. M. nullo non tempore  
fundam calidissima, permanurus, dum in vivis fuerō,

CONSULTISSIMI AC NOBILISSIMI INOMINIS TUI

CULTOR HUMILLIMUS  
ERICUS ACHARIUS.

VIRO NOBILISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO  
**D:NO JOH. MAGNO**  
**NORDIN,**  
IUDICI TERRITORIALI PER GESTRICIAM ÆQUISSIMO.

VIRO PERCELEBRI ATQUE AMPLISSIMO  
**DOM. NICOL. LAUR.**  
**AMBERG**  
OFFICIN. FERRAR. AD DAHLFORS POSSESSORI AC  
PATRONO SOLERTISSIMO,  
FAUTORIBUS BENIGNISSIMIS.

Omni, qua par est, reverentia æternum colendis.  
Breve hanc de APHYTIA, Planta Capensi admiranda, dissertationem  
in pignus gratae ac venerabundæ mentis, cum ardenti florentissima  
felicitatis adprecatione, dicare voluit,

NOMINUM; OB COGNATIONEM  
AMANTISSIMORUM.

BRUNNENS AVICINA  
PUBLIKA LIBRÆ

CULTOR OBSERVANTISSIMUS  
ERICUS ACHARIUS.

# DE PLANTA APHYTEIA.

## §. I.

**D**i<sup>ctum</sup> illud Plinii: *Semper aliquid novi ex Africæ*, etiamnum valet, in primis, quod ad res attinet naturæ curiosas studio ac industria cultorum Historiæ Naturalis, indies magis magisque detectas. Non jam integrum loquor Africam, in numero, quibus abundat, naturæ prodigia si spectes, reliquis orbis partibus facile palmam præcipientem, sed illam tantum ejus particulam australem, quæ promontorio Evelydii, (Caput Bonæ Spei vocant) proxime adjacet & quæ copia rerum naturalium maxime vegetabilium & plantarum singulatis prorsus & stupendæ formæ ac figuræ totum propemodum orbem superare videtur. Ex plantis Capensibus, quæ ad nostram notitiam pervenere, exempli loco nominis sufficiat, *Xeranthemum proliferum*, quod *Reginam Atbiopiæ* vocant, *Pblomidem Leovurum*, *Floræ sceptrum* dictam, *Gorteriam ciliarem*, *Euphorbiæ Caput Medusæ* & *Cacaliæ papillarem*, bigam illam ob-

insignem florum elegantiam, trigam hanc ob faciem non satis admirandam, *Fucum buccinalem* propter aliam eamque peculiarem proprietatem, *Arctopum* insuper, *Gunneram* & *Ferrariam*, alias ut taceam. Quod si plantarum genera, insolita specierum multitudine abundantia quæras, sane & hic desiderio tuo fiet satis in *Gnaphaliis*, *Ericis*, *Proteis*, *Aphalatis*, *Mesembryanthemis*, *Geraniis*, cum cognatis *Monsoniis* & *Grieliis*, ac numerosis, quas Aloës perfoliatæ hoc profert solum atque alit varietatibus. Cognitioni interea Floræ hujus adeo curiosæ & singularis, quam quia minus completam hucusque habuimus, stimulus incessit pluribus pleniorem & perfectiorem impletandi, notabile idque auspicato nuper accessit incrementum eximia Botanicorum nostratium a) D. D. THUNBERG & SPARRMAN opera, qui merito Historiæ Naturalis amore duxi eodem fere tempore terram Capensem visitarunt & thesauros naturæ ibi reclusos, summo ardore ac studio peruestigarunt, novisque adeo inventis, pluribus

a) D. THUNBERG ante annum & quod excurrit, relicto Capite bonæ spei, in quo sedulus fuit rerum naturalium scrutator, ad Japoniam (quæ recentioribus Nippon audit) se conculit: D. SPARRMAN consummato feliciter itinere ad terras incognitas australes, Evelpidium, unde ante biennium cum dimidio exierat, redux, ibi per annum manere longiusque regionem hanc penetrare statuit, eodem uterque fine ac proposito. Faxit Deus ut ex voto conamen amborum succedat, prosperumque det in Patriam redditum, sic enim pluribus adhuc ditatum iri Historiam Naturalem, inventis, lati speramus!

bus præsertim plantarum generibus locupletarunt. In copiosissima, quam domum transmiserunt collectione, plurima licet admiratione digna obveniant, meam tamen maxime excitavit attentionem *Aphyteia*, adeo quæ Fungum assimilat, ut, planta licet, e familia Fungorum primum habita sit, haud aliter ac *Cynomorium*, *Clavariæ* quondam species creditum. Hinc dignam eandem judicavi, quæ publica Dissertatione illustraretur, meque operæ pretium facturum spero, dum planeam hanc rite cognitam ulteriori subiecio examini; Quod quidem eo ludentius facio, cum hoc ipso promissum NOB. DOM. A. & PRÆSIDIS in Actis Holmiens. haud ita pridem datum, impleri videam. Est hoc novi illud ex Africa, quod Tibi L. B. ante oculos ponere jam mihi contigit & cūpī faventem Tuam mihi polliceti audeo censuram.

## §. 2.

## APHYTEIA.

est plantæ genus cui

**CALYX** Perianth. monophyllum, semitrifidum, infundibuliforme, magnum, carnosum, erectum, persistens.

**CAROLLA** Rudimenta Petalorum trium, calycis laciniis adnata, vel potius nulla.

**STAMINA** Filamenta tria, inferne connata, brevia. Anthers convexæ, cordatæ, striatæ.

**PISTILLUM** Germen inferum. Stylus crassiusculus, brevis. Stigma trigonum canaliculatum.

PER.

PERIANTHIIUM *Bacca* unilocularis.

SEMINA numeroſa, nidulantia.

Ad Classem igitur XVI. *Monadelphiam* & Ordinem  
quem novum condit, *Triandriam* erit referenda.

TOURNIFORTII Infundibuliformes. *Calyx* in fructum.

RIVINI Regulares monopetali, *Pericarpio* molli.

MAGNOLII Calyce ſolum infero, *Fructu* molli.

PRÆSIDIS Calycina apetali, trifido.

### §. 3.

Partes plantam conſtituentes, ſunt quidem: 1:o Radix alens, 2:o Herba movens, uti caulis & folia, 3:o Fructificatio generans, at nulla cum omnino herba noſtræ ſit plantæ, APHYTEIAM (a Gr. α priv. & φυτεῖα) di- cere NOB. DOM. PRÆSIDI placuit. Qualem in toto Floræ exercitu nequicquam quæras!

### §. 4.

Habitat ad Caput bonæ ſpei, pone montes ſic di-  
ctos Båckfåldtenses, in Carris, ſeu campis circumjacenti-  
bus vastis, ſabulofolis, aridiffimis, qui tam admirandis  
quam ingentibus ſuperbiunt plantarum succulentarum co-  
hortibus, ubi in radice *Euphorbiæ* eft *Paralitica*.

### §. 5.

Inventor eft D. Doct. C. P. THUNBERG, Smålan-  
dia-Suecus, anno 1774 dum itinere ad memoratum lo-  
cum iſtituto, per triennium, quo ibi degit, ultro citro-  
que terram adjacentem Cafferiae peragravit, com-  
plures ibi novas, quæ reliquorum antea hic Botanicorum  
viſum

visum fugerant, plantas detexit, estque primus, qui eam descripsit in actis Holmiens. ubi appellata: *Fungus, Hydnora Africana.* ann. 1775 p. 69. tab. II.

## §. 6.

A temporibus inde Svammerdamii perspectum nobis sat habuimus, plantas haud secus ac Insecta, omnimodam subire metamorphosin, inter quas quidem licet dentur partim tam exiguis foliis gaudentes, ut fere oculo inermi sese subducant, quales e. g. sunt *Ephedra*, *Sarcocornia*, *Palasia*, *Anabasis* & *Cynanchum vivinale*, partim aphyllæ penitus, ut variæ species *Euphorbiæ*, in primis autem plantæ parasiticæ, *Cytinus* nempe, *Hypocistis*, *Monotropa*, *Hyobanche*, *Orobanche*, *Obolaria*, *Latbraea clandestina*, *Cuscuta*, *Cassyta*, *Tillandsia usneoides*, *Visci* aliquot, caulescentes tamen sunt omnes, hæc vero nostra ab iis facile omnibus, hac in re dissidet, utpote quæ acaulis, ne rudimenta quidem foliorum gerit. Hæc, quas foliis destitutas cernimus, neque opus fere iisdem habent organis motus futoris, siquidem nutritium hauriunt succum omni parte præparatum, a planta vel arbore, cui adnascuntur. Vita enim omnis in motu, qui foliorum in plantis peragit officio, consistit. Vices autem foliorum, calyx ille carnosus ac succulentus APHY'EIÆ implet. Solitaria denique unico tantum flore b) crescit, quem tamen adeo construxit grandem natura, ut æqualem

B

lem

b) Id quod maxime singulare, cum *Cynomorio* sit amentum pluribus commune flocculis & *Latbraea clandestina* caulis infra terram remosus.

Iem in ulla alia huc usque cognita planta parasitica, offendere non potuerim. Quod autem radix plantæ nostræ non sit fibrosa, pluribus commune est parasiticis, e. g. *Visco*, ubi caulis, surculi instar vel inoculationis, arbori sese inserit, eadem, ac in *Lorantho*, ratione.

## §. 7.

APHYTEIA *Hydnora*:

*Hydnora africana*. Acta Holm. 1775. p. 69. tab. II.  
*Flos* palmaris, sessilis, coriaceus, subcarnosus, subsucculentus.

*Planta* nulla, absque foliis & caule, immo vero absque radice, parasitica, terrestris.

*Fructificatione* sola constans planta, eaque solitaria.

*CALYX* magnus, limbo tripartito bilabiato, externe quasi extra sinu duplicato, interiori latere rubro, membranaceo, picto figura scutiformi alba, loco petalorum.

## §. 8.

Descriptionem, quam concinnavit D. D. THUNBERG in Actis Holm. I. c. heic inseram.

*CALYX* carnosus, subteres, palmaris, primum clausus, dein apice dehiscens. *Ante aperturam* apice triqueter, supra basin parum dilatatus; extus lacunolus, lacunis pubescentibus, rufescens, tuberculatis elevatis, obtusis, subfuscis. *Post dehiscentiam* superne in tres limbos divisus; inferne infundibuliformis.

*LACINIÆ* Limbi sub lanceolatae, obtusæ, planta dimidiata, apice rotundata, interiore lacinia leviter angustata.

dio breviores, divaricatae, apicibus inflexis; margines externi parum extrosum flexi, interni dilatati, oblique inflexi, basi in dentes 3 coëuntes, ciliis mucicati. *Cilia* instar *Hydni* imbricata, albo incarnata, exteriora longiora, interiora sensim breviora.

**COROLLA** tripetala. *Petalum* singulum intra margines inflexos, limbi calycis adnatum, cordato oblongum, carnosum, niveum, pollicare.

**STAMINA** Filamenta tria, tubo medii calycis inserta, latæ, in unum corpus coalita, semiunguicularia, extus antheris fere ad basin testa; intus nuda, concava, alba. *Antheræ* tres, cordatae, striatae, carnosæ, glabrae, albo incarnatae, basi connatae, apice liberæ, obtusæ, conniventes. *Pollen* tenuissimum, sulcis antherarum insidens, album.

**PISTILLUM** Germen infra stamina convexum, carnosum, glabrum, album. *Stylus* crassissimus, brevissimus, subnullus. *Stigma* trigonum, convexo planum, trisulcatum; Sulcis e centro ad angulos ex-euntibus, transverse tenuissime striatum, album.

**PERICARPIUM** *Capula* basi plantæ inclusa, carnosa, alba, trigona, multisulcata.

**SEMINA** nulla; sed corpuscula ovato cylindrica, plura, verticalia, totam fere capsulam repletia, superne affixa, petiolata, inferne & lateribus libera; intus carneæ, solida, carnosa; extus globulis minimis, subpellucidis, niveis obsita. *Petioles* breves, subfasciculati.

## §. 9.

Synonyma descriptioni huic additurus, Plukenetii, Raji & recentiorum quæ sunt Botanicorum scripta, quos ad plantam adeo notabilem attendisse suspicabar, frustra perquisivi: unde nulli antea videtur innotuisse.

## §. 10.

Plantam recens inventam Ordini suo naturali adscribere student Botanici, quod tamen in hac mihi non successit; ab omnibus enim plantis huc usque notis adeo est diversa, ut ne vestigium quidem aut similitudinem ullam Ordinis, qui jam innotuit, naturalis indagare potuerim. Affinitatem ejus cum *Cuscuta* non cogitare, nendum statuere audeo.

## §. 11.

Maxime in hac planta observari meretur simplicitas. Reliquas novimus plantas esse compositas, nam intra folia singula gemmam habent actu vel potentia; ramos protrudunt caule abscisso; bulbis divisis nova excrescit planta; tuber *Solani tuberosi* disiectus in plures multiplicatur herbas; sed haec, caule, foliis & radice perfecta carens & unico tantum flore instruta, omnium sane est & manet simplicissima. Quamvis igitur plantas animalibus similes esse compositis, aut animalia plantis similem habere struturam crediderint Botanici, universale tamen hoc assertum per solam APHYTEIÆ exceptionem vindetur limitandum; aut certe ulteriori disquisitioni subjiciendus Cauon: *Omnia vegetabilia sunt composita.*



## EXPLICATIO TABULÆ.

Fig. 1. PLANTÆ structura naturali.

2. Macula in calyce, simulante Petala.

3. CALYX a facie externa.

4. - - - interna.

- a Margo ciliatus.

- b Rudimentum Petali.

5. STAMINA.

- c Anteræ incurræ, striatæ.

6. PISTILLUM.

- d Stigma.

---

# EXPLICATIO TABULÆ

DE TITANIA Mängler et lempur

et Mission in cœloco. Universitas Fons

et Cœloco. et misere. et misericordia.

et misericordia. et misericordia. et misericordia.



